

Johann Raue

Joh. Rauens Invitatio ad Sacrae Eloquentiae Studium, Ecclesiae Dei praecipue & nunc quidem maxime necessarium


Rostochii: Reusnerus, 1636


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739708333>

Druck Freier  Zugang



Fol. Rauen
R. M. theol. 1636.





(x)

Joh. Rauen.

Invitatio

ad

SACRÆ ELO-
QUENTIÆ

Studium,

Ecclesiæ DEI præcipuè & nunc quidem maximè
necessarium.

ROSTOCHII,

Prælo REUSNERIANO.

ANNOM. DC. XXXVI.

(x)

1636

Admodum Reverendo & Clarissimo
VIRO,

**DN. JOHANNI QVI-
STORPIO,**

**S.S. Theol. D. Prof. Facult. inclitæ Seniori & Ecclef.
ad D. Mariæ.**

*Tutori & Amico suo plurimum
colendo*

JOH. RAUE.

P. S.

Accipis, CL. Vir, quæ interea proposuerim. Et quod multo fortassis
ante, ut es in his aliisq; literis perspicaci animo, quæ factæ opus
sunt, prævideris; nunc quidem non melius, quam Tibi possum ea approbare
velle. Ut, si qui forte, quanquam præter spem mihi non accidet, abundare
sensu suo voluerint, Tu respondere possis invidia. B. V.



SS. THEOLOGIÆ STUDIOSIS

S. P. D.



Uod bene vertat! Lectores Studiosi,
Duo sunt, non profana, quibus ani-
mum ac operam, per hoc iustitii tē-
pus, quod Salvatoris nostri passione
religiosum est, addixi. In ea Rhetor-
ices parte, quam difficillimam esse,
inter omnes Oratores, Fabio teste,
convenit, reconditæ scilicet erudi-
tionis plenâ; & à qua ipsum Eloquentiæ nomen tractū
est, ego quidem deinceps magistri personam, ut Tran-
quillus Svetonius loquitur, sustinebo, & aperiam, cum
Deo, duplicem Scholam, sive honestiùs nunc dici autu-
ment, unum atque alterum apud me collegium fore, si-
gnifico. Primò quidem, Troporum ac Schematum,
vim usumq; in S. literis, ab Annalium conditore Moysè
in Jobum usque, per tria millia & octingentâ amplius,
exempla declarare animus est. Altero autem, jacturus
sum Germanicæ Eloquentiæ solum ac fundamentum,
viâ initurus & modū, dictionis biblicæ nostra linguæ
comparandæ. De quibus, ut nonnulla apud vos com-
memorem, publicè interesse video. Quapropter, ut me
benevole attenteque legatis, vestra cum primis cau-
sa peto.

A 2

Equi-

Equidem, cum in profanis autoribus versari inciperem, & quod esset discantis officium, in TEMPORA, MORES, VERBAq; hominum advertere; Sæpius mihi rediit memoria Sacrarum literarum ac Ebræi sermonis, eo gratior, quod à præsentibus studiis admonerer non tantum præteritorum, sed, quod caput erat, erudirer. Ista vero ut quotidie accidebant, ita cogitare apud animum meum institui, quam magnum vectigal esse, debeat eorum, qui humanioribus literis, quam Eruditionem antiquitus, postea Antiquitatis studium dixerunt, satis instructi, ad divinos libros hac cum supellectile accederent. Contra, quam nunc fit, ubi nihil minus à Theologo requiri solet, quam Romanæ Græcæq; historiæ, aut aliarum gentium ac populorum notitia & linguæ. Exire autem eò res debent, cum ista ferme omnia, optima certè ac necessaria ignoramus, ut in sacris perperam versemur, alii sæpe à verbis interpretes, alii à rebus. Quod quidem priori seculo ignosceremus, cum obsitæ erant literæ ac penitus sepultæ; nostris hominibus nō possumus, qui nullam causam habent dicere, nisi ignorantia & cōtemptus optimarū rerum. Æterno, me Deus, opprobrio doctorum, ac juventutis discrimine. Nam ex quo Temporum emendatio prodiit, opere isto non tantum, Principem literarum, parentem suum, vicit filius, SCALIGER; sed præcipuè ostendit, quam malè relicta ac perdita, nostris insuper contempta sit, Historiæ vis ac anima, Chronologia. Quæ nunc orbi Christiano redonata, convellat imperita hominum, judicia, cum in Sacræ historiæ tractatione omne externorum scriptorum auxilium negligant, sine quibus nec certam temporis Epocham in scripturis ullā apprehendere liceat, & multa iis impingenda errata ac falsa sint.

Altera

Altera quidem custos rerum gestarum Geographia, pulchrè hominum supercilia vindicat, cum migrantem populum Dei, & expeditiones, Apostolorum itinera, atque Salvatoris ipsius, Ecclesiæ scilicet initia, incrementa, vicissitudines, ac conservationem enarrare auditoribus volunt. Ad quæ non facile à cautis acceditur. Historiæ autem, & ejus profanæ quidem, morum, sanctionum, ceremoniarum, rituumq; notitiam, Utriusq; Fœderis tabulæ, & hoc amplius requirunt, quod Ecclesiæ nunquam licuit extra Rempublicam esse, & multæ actiones, præclaræ fuerint an secus, quæ tamè in exempla sunt propositæ, multo minus intelligi possunt, quibus de causis tam graves cõminationes fuerint ac pœnæ iis constitutæ. Ut præcepta multa ac leges, Vaticinia præsertim quam plurima taceam, & quæ non tantum res populi sancti, sed ipsum Messiam ostendunt ac promittunt; Quorum mihi omnia probè scire ij non debent, male a. adversus Judæorum pertinaciam defendere. Vetus Instrumentum certè umbra est ac tenebræ, nisi Ægyptiorum, Assyriorum, Persarum, Afrorum prope ipsorum Idola ac superstitionem didicerimus. Ut egregie meritis sit de Ecclesia Jctus clarissimus JOH. SELDENIUS, cum de Diis Syris ad primam Decalogi tabulam adeoq; totam legem ac Prophetas penitus intelligendos, populi sancti piacula edidisset. Cujus generis plures adhuc restant labores, quibus se multò rectius impenderent Antiquitatis doctores, quod in Ecclesia nati, ejus beneficia acceperint publice, nec debeant quocunque officio grati esse, sed, cum possint, eo præcipuè, quod imitari videretur aliqua specie liberalitatem & munus donantis. Nugarum n. interpretes sat multos habemus, nec desideramus Poëtarum

rum amores & nequitias melius intelligere; in seriis cura major Reipublicæ erit; & cum divinarum literarum profana ad sacri silentii fidelio rem notitiã eruerimus, Christiano cum primis nomini responsum fuerit. Quapropter anxia multorum expectatio est maximi in hoc eruditionis genere DANIELIS HEINSI, qui laboratibus sacræ literaturæ studiis visus est posthac subsidio venire velle. Cujus quidem Aristarchus maximè docet, quantum antiquæ Judæorum, externæq; historiæ ad Novum foedus intelligendum accersiri debeat, cum & Veteris more fierent ac dicerentur quam plurima in Novo, & Ecclesia tunc quoque non è Judæis sed toto etiam terrarum orbe colligeretur, Atq; ego, ut rem fatear, sæpissime in votis habui, precatus eos præsertim, qui multos annos in veterum memoriis fecissent ut, quicquid longo usu, & diffusa lectione ex profanis autoribus acceptum esset, quod pertinere ad literas sacras pro luce aliqua videretur; aut si quid ejus rei jamdum, a scriptoribus animadvertum esset, cujus quidem nulli ferme libri, nullæ sæpius paginæ apud cordatos Philologos carent; ne facile ista prætermitterentur, digna scilicet, quæ in primis essent & eximia; quo rectius sentire possent, quam nunc debent sæpe facere, qui in multis scripturæ locis satis quidem se Theologiæ studiosos diligentia, non successu, probant. Ac speramus ista vota quam primū absoluta fore, quia tanto Viro nihil deficit ad promissa aut incepta sua; cujus nec tantum esset rerum ac historiæ instrumentum, nisi illud linguarum peritia sibi, frugi ac callidissimi Patris familias exemplo, ipse domo sua comparasset. Quale studium in paucissimis deprehensum, invidiæ non prius est, nisi cum, ejus viri exemplo, de tantis eruditorū copiis, ad acuendam aliorum

aliorum virtutem, dignitas uni & cum altero cessit. Mihi quidem ex eo tanta dulcedo & affectio sacrarum litterarum innata est, cum solem in dubiis earum obscurisq; antea locis, quâcunq; parva e gentilium lectione, acciperem, ut mihi nunc ad præterita redeundum esse, viderem. Ita, quod M. Minucius Felix de Octavii sui recordatione blanditur, cōtemplatio earum, quantum subtracta est oculis, (cura certe ac proposito,) tantum, pectori meo ac pene intimis sensibus implicari cepit. Quapropter ad eas, quantum in me foret, omnino aliquid operæ ac cogitationis afferendum esse duxi, ne, in quibus possem, juvare desisterem; aut ubi non possem, viderem autem, quæ factio op^o sint, ut ea verbo detegerem, cæteris conatum ac spem operis relicturus. Cum autem prima eaque princeps cura sit scripturarum intellectus, eum non aliâ ope nisi verborum notitiâ sequi persuasus sum, quòd ista rerum essent simulacra & sigilla. Quibus oclusis nec dum satis patentibus, mirum, nemini esse potest, quod tam multæ non tantum in S. Ecclesiæ Patribus, sed nostri seculi quoq; otiosæ disputationes sint; fidei a. capita tam proluxa, defensionum adeo operosus apparatus, hæreticorum tanta adversus nos acumina, tam subtiles ratiocinationes, ipsa Theologia moles quædam fiat. Quæ omnia summo compendio doceri possent, nisi prius luctandum cum nobis ipsis esset, quam cum ignorantia; qui nec vitia nostra pati, nec sana remedia possumus. Quod nemo retius sapiat, nisi ab immaturo discendi ac perverso amore, qui ad Formulariorum aut Scholasticorum terminos ante, quam ad ipsum loquentem Spir. Sanctum properamus, & ex ista fece haurimus, quæ cum fonte, mista puram limpidamq; nobis turbant. Quanquam
nisi

nisi eos hodie intelligas, parum in Academia Theologus sis. More scilicet veterum Ecclesiæ Doctorum, qui solebant non prius definire ac disputare, nisi quæ probe intellexissent, & sedulo exponere, antequam definirent. Cum accurata rerum nulla sit definitio, quam non vocum significatio atque usus præcessisset. Quæ in eis tanta sunt, quanta in ignarissimis. Quapropter cum uno verbo non satis intellecto infinitam sequi difficultatem ac laborem oporteat, quæ tamen eodem illo gradu evitari possent; quanta est dementia studiorum, si malimus nescire, ut discere non sit opus, nec discere, ut flagitiosè ignoremus! Eant vero illi in conspectum Ecclesiæ, ac quærant fontem abominationum in Papatu, & recogitent Magni nostri Lutheri labores in asserenda divina ac cœlesti veritate, & quanti constiterit purgare istud stabulum. Tum verò nobis reducant catervam illam malè nominatorum hominum, ac somnient cum illis portenta sua. Scilicet vanum est, quod noster iste Elias sæpe timet, aut parva res, ad vomitum redire. Qui debebamus nec dimittere agnitam veritatem, nec prodere. Quod facimus, cum veris, armis pugnare, non veris, nec infidias vereri aut consilium volumus, ut præterire deinceps hostem ac evadere non possimus. At verò non parum expertus est vim ac robur ejus doli, incomparabilis Chemnitius, primus qui fulmen Tridentinum in autores suos vibravit, cum Ecclesiam juberet esse Grammaticam; quibus artibus nata, ac renata cœlestis doctrina, tum demum peritura, cum autores Grammatici non essent, aut qui docere vellent, animum Grammaticæ non applicuissent. Quo dicto nihil rectius est ad veterem sapientiam. Nostri n. seculi vitium est, quod ad primam hominum

minum ac rudem illam ætatem relabimur, cum Gram-
matica nihil aliud erat, quam Promethei inventum, &
in docendis apicibus ac lineolis literarum occupata,
pingere formas aliquot ac scribere; aut postea inflecte-
re voces & distinguere in certos ordines paullatim, vix
tamen ultrà, quam conjungere mandabat. Quod o-
pus hodieque Grammatici est, nisi quod tota ars hoc
ludicro male censetur. Verum, sicuti melioribus annis
cujusque gentis, non ista tantum docebantur, sed ma-
ximè alia, & quæ primas, ut in Prudentum responsis
Modestino atque Ulpiano dicuntur, literas transirent;
ita summæ dignitatis viri in eo studio fuerunt. Qui
cum non tantum de literis ac potestate earum, sed lo-
quendi modis & rationibus disputarent, ac sermonis
præcipue elegantiam sectarentur, ostenderunt ambi-
tum hujus artis. Satis magnum, etiamsi cætera, quæ
paullatim ascita sunt, non assumamus. Secretorum n.
hoc pacto ingens area fuerit. Comes certè eorum o-
mnium, ut Fabius pronunciat, & quæ omni studiorum
genere, plus habeat operis, quàm ostentationis. In qua
tamen & limites nobis & idoneam curam proposuimus.
Sacra n. verba sunt, quæ circa occupabimur; & à Veteri
Instrumento promissimus initia. Quapropter nec a-
lià, quam Ebræa linguà, præcipue tacere possumus.
Quæ scilicet prima est ac princeps, propter quam Theo-
logiæ studiosum maximè Grammaticum esse oporteat.
Docere autem literas Ebræorum, & quibus illæ modis
in sermonem copulentur, ejus partis est, quæ *τεχνολογία*,
sive hybrida voce cum Servio ac Cassiodoro malis, Ar-
tigraphi profitentur. Atq; ab ista cura malumus alios
bene audire. Nobis altera pars Grammatices maximè
placet, quæ ad intelligentiam rerum superior est, &

B

verba

verba enucleat. Non ut veterum Criticorum infista-
mus viam, qui nothis genuina, eaque notis quibusdam
discernebant, quæ Masoretharum laus olim est, nunc
quidem eorum propria, in quorum fide ac diligentia
positum est, ut libri in manus hominum quam emen-
datissimi veniant. Neq; habemus, quod multum nimis
hoc nomine conqueramur. Erymologias autem, hoc
est, origines ac vocum sobolem jam pridem Rabbini
sectati sunt, & è nostris plurimi. Quorum multi satis
feliciter, alij minimum egerunt. Exemplo omnis ævi,
præsertim eo studio, in quo & maximi sæpe viri plus in-
dulserunt ingenio & conjecturis, quam veræ origini ac
familia. Licet apud oriëntales facilior lōge cura sit, pro-
pter cuiusq; vocis essentielles literas, ex quib9 primæva
constituitur, quam Radicem appellant. Verborum
nobis, ut ex artificum instituto breviter loquamur,
proposita Qualitas est; qui modum significandi res,
quo illæ exprimantur, declarare volumus. Atque cum
id faciant dupliciter, Propriè aut Figuratè, nos quidem
posterius nostræ curæ esse iussimus. Non tantum in
solis vocabulis, sed quandoque conjunctis, cum formu-
læ fiunt, ac pulchre equidem, à Dialecticorum magistris,
Complexa dicuntur. Neq; tamen Propria omninò ta-
cebimus, sine is n. figurata intelligi & explicari non pos-
sunt. Nisi quod ista nobis non proposuimus, & propter
noticiam Troporum tantum accidunt; quæ sola sunt
instituti nostri, neque plus alienæ tractationis deside-
rant, quam ad sui intelligentiam suffecerit. Quare præ-
ter usum Troporum ac Schematum in Sacris literis ni-
hil promittimus. Iste a. cum duplex sit, parem nobis la-
borem genuit. Ac vulgo quidem Tropica sunt, ubi-
cunq; aliqua similitudo commune fecit plurimum rerum

voca-

vocabulum, quarum uni primò, alteri ab ea, secundò
vox illa conveniat. Quæ falsa penitus, nec tamen ab
instituto nostro separanda, quia & in his Troporum u-
sus maxime cernitur. Quapropter sicuti propria non
sunt ex promisso nostro, ita tum fuerint operæ tamen,
quando pro Tropicis à vulgo habentur. Id quod ac-
cidit quam plurimis, & verè per modum Tropi, licet
non eodem ejus fine. Tropus n. cum mutat vocis si-
gnificationem, aliisque rebus eam imponit, ornatus ac
voluptatis causa facit; Eaque nisi fuerit, nec Tropus
verè est, nec Tropica vox. Artes enim sine censentur.
Primò igitur omnium, quæ scriptura accersit, ut dele-
ctèt atq; vestiant, ideoque figura declinavit à propriis,
ista à Troporum ac Schematum suo usu, contemplabi-
mur. Propter eos in cæteris, qui nihil magis horrent,
quàm si Rhetorum, ut vocant, pigmenta assuere divinis
litteris velimus. Quæ sint gentilium cura, odium Apo-
stoli, ipsiusq; S. Spiritus. Quibus quisque se dederit,
artem incantandi magis, quam concionandi, sacro loco
exerceat. Quæ multi, non quod vera putent, sed quia
ista non possunt, hoc est, bene dicere, causantur. Quan-
ta autem vis ac necessitas ejus sit, paullo post brevissi-
mis, alibi fusè declarabimus. Et hæc nostra opera cum-
primis Rhetoricæ sacræ inferviet. Nam quæ præterea
& secundo loco trademus, Rhetorices propria nō sunt.
Vocabula enim non desierunt esse Propria, quæ vulgo
Metaphorica creduntur. Veluti cum *Schebhet* Baculum
ac virgam, deinde sceptrum notat, aut *Lahabb* primò
Flammam, demum post Gladium ac Mucronem. Sicuti
neque, cum *Hosen* proprio ac genuino significato Ro-
bur, translata opes ac Thesaurum, vel *abph* ante signifi-
cat Iram, Synecdochicè Nasum; posteriores earum,

vocum acceptiones voces Metaphoricas efficiunt. Perquam n. falsa sunt. Siquidem Tropi, quanquam Oratorū proprij sunt, non tamē voces tropicæ sunt, quæ per Tropi causam significant. Nisi ad ornatum aut amplificandæ rei fuerint deflexæ. Aliàs sicuti ad Grammaticos pertinent, quibus commissâ est loquendi proprietas, ita necessitate non mutant dominos. Quæ tum illis est, cum aut alia defunt vocabula, aut defierunt, aut ipsa sunt longè aliis, & pro rei usu, significantiora. Quare cum ejusmodi acceptiones explicantur, Grammatici ista opera est, sed à Rhetore tradita. Ex cujus arte ad ingenium rei illæ factæ sunt. Qualem usum Troporum hic quoque profiteamur. Non tantum ut Proprietas sermonis rectè, ac inde pendens orationis totius sensus, quæ præcipua ac summa sunt, sed ut præterea causæ ac rationes intelligantur, quare tam multa rerum, eaq; diversa, unius sæpe vocis tessera denotata fuerint. Unde proprietatis in loquendo iudicium omne sumi debeat ac ferri. Quod maximi negotii est atque operis ad intelligenda sacra; ideoque pluribus nunc quidem, ut percipiatur exponendum. Erratur n. hic maximè. Ergo igitur Ebræis verba pauca sunt, res quâ plurimæ. Ista autem non nisi structura ac copulatione, modo præcipuè connectendi, & materiâ, de quibus loquimur, aperiunt intellectū cognoscentis. Usu nihil minus propria, quâ tropica per impositionē. Etiam si Tropica vocare non debeas. Cum non similitudo Metaphoram faciat, sed ejus usus, nec proprietatem impositio prima, sed idem usus. Contra quam D. Augustinus definiebat, & multi hodieque sentiunt. Nam qui *Emolumentum* dixerit pro farre tosto, vel omni eo, quod molitum est, ex impositione vocis rectè dixerit; Vocem autem
nec

nec usus obtinuit, & si fuit, abolevit. Quod aliis accidit quam plurimis. C. n. Julius Cæsar, qui servantissimus in sermone elegantia est, cum ista superiore voce in Ariovisti ad legatos suos responso uteretur, tantum non profecit, ut apud cæteros autores in consuetudinem abiret, aut certe, ut eum eruditi hucusque intelligerent. Nam aut corruptum dicunt, aut nescio quid ridiculi velle. Qui tamen ex Germani persona, Gallorum more, in militia frumentum, hoc est, quod ante dixerat, *molita cibaria portantis*, sic eum loqui facit; *Se neq; sine exercitu in eas partes Gallia venire audere, quas Cæsar possideret, neq; exercitum sine magno comœatu atq; emolumento in unum locum contrahere posse, &c.* Ut ita, *sine comœatu & frumento* (quæ aliàs componit ac à se distinguit,) dicere Romano more voluisset. Cujus generis multò plura à me animadversa sunt. Ex quo tamen satis intelligas, verum esse quod optimi Oratores sentiant, propriam vocem, cum defuerit, vel usus non approbarit, ad obsoleti, aut antiqui familiam rescribi, nec genuino ac nativo significato deinceps, sed posteriore propriam esse. Quomodo *Emolumentum* facile nemo acceperit, nisi pro commodo aut lucro, & omnes nunc eo, veluti proprio, sic utuntur. Quæ profecto nisi accurate intelligant, ut etiam versati quidem fuerint, non possunt orationem propriam à figurata dignoscere, multo minus in Logicis Enunciationem propriam definire, pro veritatis inquisitione. Res ista Grammatici est, quod diximus, qui voces proprias effingit, nunquam Tropicas, etiam tum, quando per Tropum fingit. Quia ex Tropo mutat, ne novas gignere debeat, & mutat, ut genitarum usus sit ad alia. Ideoque Grammaticus idem consilium habet, & cum duarum rerum alteri primò imponit nomen, & deinde propter

earum inter se similitudinem, idem communicat alteri. Laboris praecipue compendio, quod facere vult in nominibus rerum, si in ipsis non liceat, propter quas solas & scire desideramus & discimus. Quo magis divinitas Ebraeae linguae se probat, cum rerum diffusam multitudinem verbis adeo contraxerit. Quanquam non major forte laus sit, quam si nomen quaeque res suum ac separatum habeat. Sic n. hominem non facile distrahit, & suppellex rei familiari aut Domino suo iniqua non fuerit. Beneficio quippe vocum, rerum distinguimus varietatem, etiam tum, si possumus, quando affines sibi maxime & propinqua sunt. Scilicet, ut accurate sciamus, quod est similia quoque differentias tenere. Quanquam nec id in Ebraea desit, etiam si voces desint. Quippe tum usu discerni vox a seipsa, non literis; ut a recte discernas, usus ante omnia constitui, debet. Quae ipsa quaedam effigies divinitatis est, quam tamen ex superiori causa rectius intelligas. Deus n. omnibus carere potest; proprior ab eo est, qui parum indiget, hoc magis procul & longe, qui desiderat magis. Ideoque ad multa paucis habere opus, non penuria est, sed *divina* quia plus non requiritur, quam sufficiat. Quo modo ad simplicitatem & nos & omnia terrena rediguntur, sive Scholas spectes, sive officinas. Nisi quod usum ignoramus, hoc est, quae instrumenta nobis sunt, nec habemus iusta, nec iuste adhibemus. Ebraeam quidem linguam, cum ejus, qui conditoris sui imaginem nondum excusserat, divini scilicet hominis opus ac donum sit, mirari posthac non debemus, quare tam paucis se absolvat. Utcunque perdita cum libris multa sint. Nam & haec ipsa, quotquot fuerint, si comparentur cum aliarum deperditis, minus erunt. Dum rationem recte velis

velis subducere. Quod prima quæq; hujus linguæ vox
tribus literis finiatur; Compositæ autem non sint, nisi
quibus appellare quicquam seorsim volumus, hoc est,
ut à Dialectico docemur, Individuum suo nomine si-
gnare. Cum in contrariò duplici causa aliæ omnes o-
peræ linguæ sint, primogeneis vocibus & compositis;
& derivatarum numero aliàs superent. Atque ut eò,
quod nunc quidem colligo pervenias; Cum periisse,
multa ex primogeneis doceant, quorum soboles adhuc
superstes sit, quærere possum, quam forte significatio-
nem ista habuerint? Nam si Ebræa quædam Radicem,
ut vocant, verbalem, non quidem apud se, sed Arabes
adhuc ostendunt, veluti *Kol*, vox, *Schamajim*, coeli, *Minbbab*
oblatio vel donum; quorum origines sint *Kablá*, dicere
Schamavá, eminere, *Manabhá*, donare; Dicere autem, Emi-
nere, sive altum ac supra esse, & Donare, tam sint quoti-
dianæ & communissimæ res: quare in Biblis istæ non,
modo frequentatæ, sed ne adhibitæ quidem fuerunt,
rerum notæ? Quando aliter responderis, quam vocum
earum primogencarum non fuisse communem usum,
tum iniquus & plane ineptus sis. Unde appareat, ne
his quidem verbis Ebreum uti voluisse; quia nec opus
fuerit, nec aliis minus bene fiat; ideoq; & hæc ipsa spre-
vissæ consuetudinem. At verò cum mihi causam di-
cturus es, quamobrem tam multis rebus una vox in Sa-
cris imposita, quæ ipsæ tamen peculiaribus, & privatim
sibi propriis vocibus signatæ distinctæq; fuerint? tum
mihi divinitatem istam penitus fatere, quæ paucis ad
infinita prope suffecit. Sed in numero ea est verborum,
quæ in usu longe profundior habetur. Verbis n. com-
munib; tamen ad res privas significandas, & instar pe-
culiarium uti, iste est usus verborum cœlestissimus,
quem

quē vulgò nec docēmus, nec bene scimus. Quia percausas nondum novimus, quod scire est. Troporum autem vim ac rationē qui negligunt, usum declarare non possunt. Et tum demū ille foret cognitus, si vocū communio, rerum nō amplius diversitatem confunderet, cum ita vocibus doceremur uti in intelligendo, ne errare post contingeret in accipiendo. Qui sunt periculosissimi omnium scientiarum ac cognitionis scopuli. Cum tamen ea res laboris tanti non sit, ut fingitur, ac sit tantæ tamen necessitatis, quantæ vix creditur. Ex ea causa tot glossæ venerunt, tot nugæ in scripturarum loca; tot distinctiones ac limitationes ortæ sunt. Interpretes à se, non alia lite, Patres à se non alia, doctores non alia dissident. Inde olim schismata ac controversiæ, inde Hæreses ipsæ. Quæ aut ex hoc antro eruperunt, aut maximè se propugnant. Quibus non ante salutem dabimus, nisi ad caput errorum, & unde divertere inceperint, reduxerimus. Falsi ac frustra, cum malum non in Minera, quod Medicorum filij loquuntur, in ortu scilicet suo sustulerimus. Quia cum incrementa ceperit ac vires, tanti postea non sumus, qui eam Hydram debellemus; Quod nova subinde monstra quolibet ictu effundit, materiamq; defensionis accipit à nobis ipsis. Atq; utinam juvenus ista tam probe animis reponeret, quam sunt à magnis viris demonstrata; eam certè Ecclesiam, adeo laceratam, aut fessam non haberemus. Tanta enim sunt, quæ sperare ex literatura sacra possumus. Quam post alia feliciter adjuvare non possumus, nisi verborum usu. Ut discas, & quantum ea rerum, & qua causa significant; & cum tam paucis significetur multa, nec confundatur tamen, nisi nostrâ incitiâ, quomodo eâ evitare possis.

Cui

Cui nemo facilius par erit, nisi qui in aliis literis profecerit. Nam & multa feliciter, & absque negotio & penitus cognoscet. Cum quibus ipsi aut male aut quamdiu luctandum fuisset. Contrario planè exemplo CL. JOH. DRUSI, quem præter ea, quæ ad verbum sæpe ex Ebræorum magistris trāstulit, Autorum lectio clarum dedit. Ut non minus in Sulpitium erudita, quam in linguam S. scriberet; cujus ingenium sæpe & gratiam, non melius ostentare poterat, quam Latinæ Græcæque comparatione. Et optarunt eum nonnulli *πολυμαθερον*. Errant n. (mea quidem sententia) valdè, quibus præsumtum est, absque linguarum communione docere, ullam quam optimè. Siquidem ejusmodi Interpretem non cognitio absolvit. Et nostris moribus omnis eruditio à Latinis Græcisq; literis proficiscitur, deinde ad cæteras abit. Institutio a. melior fieri nulla tum potest, nisi collatione eorum, quæ cognovimus. A notis progredimur ad ignota; & dimidium totius habet, qui in præsentibus eruditur ad similitudinem præteritorum. In linguis præsertim; quarum tanta est adhuc consensio, quanta olim confusio extitit. Quippe, quæ vocum tantum, aut præcipuè fuit, non rationis in loquendo ac modi. Quem naturaliter, & eundem omnes habemus; perinde ac rerum signa, quæ in animo versantur ac mente concepta sunt. Quorum communis est notitia apud omnes gentes ac populos. Quemadmodum scilicet convenimus in animæ vi, sic etiam in intelligendo, & similitudo rationis facit, ut similes in loquendi modo simus; cum ejusdem sit & apprehendere & enunciare. Quantumvis alia efferendi instrumenta sint. Loquendi n. modus ad summum diversus magis non est, quam vultus Aethiopsis a Germano. De
C qui-

quibus disceptare Physici debebant, ut ex iis confulerent Grammatici. Existimo n. rem in primis necessariam esse. Præcipue si ad docendi leges optimas me velim ac nostros mores componere. In quibus tamen pessime agitur; quod nec germanicè loqui, nec modum scimus, & stultè properamus ad extera. Quorum pessima ex eo capite institutio est, qua in vernaculâ non didicerimus naturam omnium. Quæ & doceri, ut cõmunis cum cæteris est, & primis annis, & cum patrio optimo sermone deberet; ut sequentium linguarum perceptionem, non nisi præcepta vernacula, adeoque cæteras exciperet omnes ac levarat. Quomodo tot Regulis, Observationibus, Exceptionibus ac Notis nova subinde lingua opus non haberemus. Nec deinde hæc calamitas in ultimâ senectutem duraret; sed doctiores magistri cum juventute essent. Optandum verò sit, ut hæc vota, si matura ac sana videantur, aliquis GERHARDUS JOH. VOSSIUS, rata habeat, qui nuperis de Arte Grammatica libris, cū Præcepta aliquando in ordinem redegit, & pulchrè equidem leviâ hucusque Regulas coërcuit, posteros omnes sibi devinxit. Cujus operâ facilimum fuerit excipere Novam Grammaticam, quemadmodum fieri non dubito ab homine, qui hucusq; pueritiæ studia publicè digessit, ac non ita pridem pollicitus est. Verum si alter iste, qua calliditate ingenij, ac judicij acumine est, de Naturali loquendi modo, linguis omnibus communi, ad quem libro de Constructione quam sæpissimè provocat, diligentius cogitare vellet, mea quidem opinione, beneficium omne absolvisset. Exspiraret enim multa nimis disputatio super Idiotismis, ut vocant, in quibus male convenitur. Non majori damno quam juventutis; quò
ne ma-

ne majus in literatura est. Ita enim nec in linguis disce-
re potest, quid commune sit, nec nec de peculiaribus ju-
diciū capere. Exemplo doctorum, qui nec eadem
invenire possunt. Hinc n. de N. Testamenti dictione
ac stilo, hinc de multis scripturæ Phrasibus controver-
sia est. Quam malè tractant, qui ingenium linguarum
non norunt, vel ejus scrutinium. Quorum enim exem-
pla forte reperiunt, rara certe, & nonnunquam ad
solocismos dilapsa suæ gentis, æqua habent cum for-
mulis communissimis. Contrà, quam de Idiotisimis sen-
tiendum, qui usus communione definunt, nō exemplo.
Quale cum ostendunt unum vel alterum, nihil magis
proficiunt, quam quod in ista confusione linguarum,
vestigium repererint ac incerta quædam rudera unius
olim formæ. Ideoque hæc potius enarrare possunt.,
quam ad enarrationem aliorum afferre. Neque id sta-
tim legenti persuasum sit, Fabius ait, omnia quæ magni
autores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labun-
tur aliquando, & oneri cedunt & indulgent ingeniorū
suorum voluptati, nec semper intendunt animos, &
nonnunquam fatigantur. Quandoque audaces nimis
sunt (quod poëtis non nihil permissum est, quos tamen
metri necessitas sæpe excusat) fingendis præsertim vo-
cibus aut loquendi formis, quibus quod autoritatem
non aliam petunt, nisi à scriptis, & sæpe in linguas civi-
um suorum inciderunt, nec consuetudinem benignam
inveniunt. Quanquam nemo san⁹ illa projecerit, quod
hujusmodi error, si sequaris, honestus est. Tamen neq;
facias loquendi legem, quæ solus usus est, ac Idiotismos
parit. Erant verò mihi ista nequaquam prætereunda,
quanquam ab amico heic nostro pluribus & justè fiet, ut
juvent⁹ cavere discat præceptores suos, qui nimis faci-
les

les sunt, cum minus trita phrasis obviet, cujus ignorent exempla, in comminiscendis Idiotisimis. Quorum tamen omnes alia lingua nonnunquam plenae sunt. Ea vero arte discentes tam recte iudicij erudiantur, ut elegantias nec facile discernant & temere credant. Turpissimo deinde peccato, cum barbarissimi notam optimis quandoque viris, suis autem postea discipulis inurant malam sermonis conscientiam. Quae ut evitari possint, ab hac opera quoque sperari debent. Siquidem ex Troporum ac Schematum natura iudicanda plurima fuerint. Illi n. quam maxime variant, quatenus dicendi genus est, quod gens quaeque sectatur; hoc est, prout ipsi fuerint loquentes; graves asperi, vehementes, splendidi, horridi aut exculti, molles vel delicati. Quod figuram dictionis eam quisque habet, qui mores ac ingenium fuerint. Ad quae demum attentissimus, luxuriantem Arabem a frugi Iudaeo possit, & multo magis utriusque gentis propria dignoscere. Ista vero sunt, quae deinceps, quantum in nobis est, persequi cogitamus. Quandoquidem maxima pars linguarum in proprietate, & multa ex Tropis latentibus spectatur; qui dubietatis quidam latex & scaturigo sunt, quae Aequivocationem dicunt, & unde mala omnia. Cum a. a Fonte, Ebraea lingua, arcessere cupiamus, recte atque ordine fecerimus, si caetera instituti nostri adjiciemus. Conferre igitur eadem opera Interpretes duos & LXX, Graecos meditamur; Latinum Veterem ac Tremellium, germanice LUTHERUM & nonnunquam Herbornenses. Hoc praecipue fine, ut videamus, an eadem figuram aut alio sermonis genere Authenticam reddiderint. Usus tum geminus erit, ut Hellenisticè discamus, quo stilo Novum J. C. Testamentum scriptum est, & modum vertendi ex
linguis

linguis alijs, præcipuè, augendi vernaculam; Non quidem vocibus novis, sed veterum novis, Tropicis videlicet significationibus. Qui scopus est prioris mei Collegij.

Sed me cætera dudum vocant, posteriore Collegio tradenda, cum germanicè eloqui sacra ac bene dicendi artem meditamur. De quo non pauca nobis facienda, verba sunt, quod mirari vix satis licet tanti studij contentum ac negligentiam. Nisi per summa tantum capita abeundum in præsentia foret, cum plurarum cogitemus afferre, quando juvenes aliquot, Romanæ eloquentiæ studiosos, publicè quamprimum audiri faciemus, ac eorum tirocinia, quæ ponere meditantur, breviter laudare. Quo loco videmur omnino nos debere in communem rem de Eloquentiæ necessitate & exercitationibus nonnulla perorare. Quanquam adeo graviter mihi peccatum esse existimatur, ut istas querelas ne nunc quidem præterire possim. Qui tot annis, toto seculo, nondum in Ecclesia docemus oratoriam. Artem Spiritus Sancti, quam in primis coetu suo exerceri voluit, cum Prophetas & Apostolus ipse olim erudiret; deinceps istam rem hominum fidei ac Scholis committeret. Eorum præsertim curæ, qui sedent in cathedra Moysi, & loquuntur quotidie ad populum, istique muneri suo efficiunt successores & relinquunt. Qui quidem si gentes cogitarent; si hoc Imperium, in quo vivunt, cogitarent; aut veterem impiam Romam, aut istud sapientiæ domicilium Athenas cogitarent, nunquam in salutem Ecclesiæ remissiores essent. Quam non minus bonæ artes conservare debent, ac civitates alias; quod Reipublicæ formam ipsa quoque habeat, & majorem longè prudentiam diligentiamq; postulet.

Quæ tanta in gentibus fuit, ut nihil majus ad salutem suam existimaverint Eloquentia, nihil excoluerint magis Eloquentia, Eloquentiam arcem omnium ac summam fecerint, sive scire pulchrum, sive agere duxissent. At verò quandoquidem pudor est à paganis discere, quod tam imperitos rerum dare solet, quam non imaginem in veteri Ecclesia habemus? Cum tantò melior quisq; doctor erat, quanto melior Scholasticus. Quod nomen eruditionis non simulatæ erat, ac præcipue disertis hominis. Scilicet, sacrorum antistitem doctrina, & professio faciebant, absolvebat eloquentia; cum assertor veritatis nemo satis idoneus esset, nisi dicendo maximè valeret. Quæ nostra ætate contrà fiunt. Cum eruditus esse timetur, qui eloqui melius, quam pro more, potest, & qui non potest, eo plus causæ habet arrogandi. Pessimo Ecclesiæ publico; quæ nunc eloquentibus nullo modo, si alias unquam, carere potest. Vita scilicet hominum à pietate tam aversâ, ut asylum prope videatur Ecclesiæ nequissimi cujusque, & colluvies ac sentina quædam improbitatis. Ita nos non emendarunt coelestes poenæ, sed corruerunt; & quam exercuim⁹ olim, immisericordiam, iniquitatem & injustitiam, quæ scelera tam gravibus præceptis dediscere, tam dura ac immiti disciplina deberemus, ea acuimus omnia, & ab ipsis carnificibus, milite nostro, accipimus. Ut parum spei in Ecclesiæ doctoribus ponendum sit. Qui nec veteri disciplina coercere possumus, nec novimus verbis ac oratione satis deterrere; præsidium vero ad emendandam Auditorum vitam & vita nostra, & aliàs inconsideratè habemus. Sacris utique concionibus, ubi nos conveniret hoc anxiores esse, quia ultimum robur sunt, & in quo sperare multa ac prope omnia

omnia debemus. Exemplo totius ævi, cum Ecclesiæ corruptissimis moribus essent, & alia nihil profecerant. Obdurato sc. populo Dei, pœnisque malorum in pertinaciam vertentibus. Cui morbo, quanquam ad desperationem gravi, præter verba ipse S. Spiritus nihil externi, extrema scilicet afferre, & eorum nihil reliqui facere. Cum Prophetas mitteret, atque atrocissimis quam plurimum, nonnunquam miserimis, vehementissimis ubique vocibus tentaret pravitatem hominū ac vinceret. Quorum exempla etiā nimia sunt, quod gerendæ rei admonemur nullis. Quapropter conclamamus funera potius, quam medemur decumbentibus. Concionamur n. omnes, nulli proficimus ad vitam. Quia ista, quibus facere, quantum in nobis est, possumus, neque discere laboramus, nec docere. Risiuri potius, qui hæc profiteri cupiant; quæ nō sint vis ac robur Spiritus Sancti. Ira enim putamus recte sentire, si optimam ducimus Ecclesiæ eloquentiam, cum nulla est. Eò pejus D. Paulli exemplo contemnimus. Quo nemo, ne gentilium, eloquentior fuit. Lyfiam superaturus, & quem legem orandi habuerunt, Demosthenem, si, quæ eorum virtutes narrantur, excutere vellemus, & in Apostolo ostendere. Cujus simplicitatem in verbis ac popularem usum, gravitatem, in rebus; in docendo perspicuitatem, vehementiam in concitando, & quæ ista omnia moderatur in adhibendo prudentiam, si à paganorum eloquentia saperemus, longè esset alia per Ecclesiā Dei & studiorum ratio, & laboris fructus. Nunc ista non ignoramus tantū sed quæ est prorsus impudentia, projicimus, ut, cum necesse sit, neq; faciamus aliquando, nec facere possimus. Unde mirari non debemus, si, quæ vis orationis est à Deo, homini.

minibus in usum data, ejus apud nos sepulta omnia sint. Quibus sprete neglectaq; præcipue ista, unde mereri eloquentia nomen primo cepit, quibusque ipsa non minus indiget, quam corpore spiritus noster, quam oculo vel aure sensus, quam cujusque vita alimentis potest. Verba intelligo, & eorum virtutes, quæ in eloquentia primum sunt; unde gignitur, fovetur, aliturq; oratio. Cujus illa sunt signa quædam & simulacra. A quibus & didicimus & aliis explicamus rerum pondera. Quæ sic possunt divelli à se invicem, velut à rebus sensus nostri, cum eas apprehendere volunt, aut à sensibus intellectus. Quando quidem mortalium nemini datum est intelligere, nisi quibus mens nostra movetur, rerum signis. Quæ propterea origo omnis sapientiæ, omnis cognitionis incunabula quædam sunt. Tanto labore, tanta prudentiâ, tam circumspectè facta, ut pro omni usu ac necessitate varia sint. Domestica, peregrina; pura, translata; nova, vetera; rara, frequentia; honesta, obscœna; levia, gravia; sublimia, depressa; sonora, exilia; lenia, aspera; tarda, volubilia. Ne sit in rerum natura, cujus gerere imaginem, non possint, nec in actionibus quicquam, ad cujus aut amorem non excitaremur, aut odium; quibus ista, quæ vivitur, hominum vita, res omnis nostra, omne negotium & agendi ratio continetur. Quorum causa, nisi temperaveris orationem ac diversus interim sis, neque id in animis hominum, quod propositum est dicenti, efficies nec proderis publicè. Quia te arma destituunt, quibus ea res agitur; quæ duntaxat habes ad penuriam; non varia, ut justa eligere, non multa, ut pro usu tuo possis. Quæ de causâ mirum non videatur, si frustra sis, & minus præstes, quanto plus animo connitaris.

ris. Sed nos melior cura tenet, qui vim Eloquentiæ suo robore æstimamus. Rerum scilicet copia, non verborum. Quorum causâ nihil faciendum sit oratori, quia ipsa pro rebus inventa acceptaq; sint. Majore igitur animo, ac Fabio ipso duce, aggredimur Eloquentiam, quæ si toto corpore valet, unguis polire & capillum reponere, quod idem ait, non existimamus ad curam nostram pertinere. Miseri n. ac pauper omnino sit orator, qui nullum verbum æquo animo perdere potest, cuiusq; oratio ut laudetur, jacere sensus ac materiæ vires debeant. Quapropter neq; in delectu verborum aut collocatione operam ponimus, nec tanti ista sunt, ut aliquam sibi diem vendicent. Germani quippe, quibus deesse verba non possunt, si vernacula velint; cum plus sæpe loquamur, quam opus sit, nec alia in concionibus, nisi rerum penuria laboremus. Ideoq; Theologiæ studioso, nihil magis incumbit, nisi ut disputare discat, isti se exercitio assuefacienti, quo nullum est, ad cognitionem doctrinæ cœlestis æque præsens. Etiam si persæpe ne rudimenta subierimus ejus literaturæ. Proxime a. cõcionamur. Felices præ cæteris ac beati, qui tam magnæ artis compendiariâ invenim⁹, ut possimus ad negotiũ ac usum ejus, quæ sunt, concionum exercitia, quam primum admitti. Methodis præsertim accurate adeo ac perspicuè scriptis, ut sermonem habere egregiũ, mediocris deinceps operæ ac virium sit. Invenire n. argumenta ac disponere, cum pars præcipua sint Rethoris, tum ars tota Amplificationibus finitur; quam hodie affatim multi ac illustri brevitate tradiderint. In verbis a. si quid sit, præceptis non tenetur; & dabit frequens lectio Bibliorum, Lutheri in primis ac deinde optimorum ex Tra-

nobis

D

Etatori

statoribus, quos barbare, quanquam satis frequenter,
Postillantes appellant. Atq; hæ Doctorum publicæ
voces, hæ passim e prudentissimis audiuntur. Cete-
rum si ista sunt tam sana consilia, quibus studiosi pro-
ficient in dicendo, non possum admirari satis quare,
tam pauci bene concionentur; & si faciunt, quare non
isto se artificio, ut promittitur, sed ingenio & labori
maximò nec nisi ultimæ ætati, hoc est, nimis longæ
consuetudini debere profiteantur. Contra quam ab
arte fieri conveniat. Imò ut videamus tamen, quibus
rationibus inducti negligunt sermonis curam toto E-
loquentiæ studio, ut satis habere existiment quibuscūq;
passim verbis, nullo ornatu nulla arte in ijs uti, dum-
modo rerum sint diligentes, ac plenam materiæ oratio-
nem afferant; possum ab ijs primò discere velle, quam
vocent rerum curam, & quid potissimum futuro con-
cionatori operam esse existiment. Nam si materiam
professionis suæ non intelligant, & in quibus labor sa-
cro oratori præcipuè poni debeat, potest illa rerum
mediatio inconsulta & pro votis suis frustra esse. Au-
divi autem quam sæpissime, non sine stupore, quæ co-
ram populo, de intimis Theologiæ controversiis aut
putidis ac obliteratis propemodum hæresibus afferre
soleant, ostendendæ eruditionis alicujus, quæ tamen
solida minus, non ædificandæ Ecclesiæ. In qua doce-
re ante omnia, non refutare conveniat. Quod stulte
fit, si nulla à sectariis causa sit. Quos cavere rectius
quam tacendo, non possumus, nec reprimere apud cre-
dulam plebem, nisi rectæ fidei confirmatione. Quo fun-
damento demum & facile pereat contradicendi stulti-
tia. Rectorum vero in Academijs esset, veluti quos
in civitatem suam accipiunt certis vivendi, sic etiam
studen

studendi legibus continerent. Cum hæc præcipue di-
fcentium vita sit, quæ in literis occupatur. Et, si, quas
vocant, Facultates singulæ communibus votis ejus-
modi consilia caperent, muneribus deinceps omnibus,
quocumq; ordine ac statu prospectum esset. Fructus
autem præcipue, cum ad Theologiæ studiosos redun-
dasset, in Ecclesiam dimanaret. Utiq; scirent Prophe-
tarum filij cardinem vocationis, ipsis statim initiis co-
gitantes ministerium aliquando suum; nec aliena, ut
fert calamitosa prorsus consuetudo, tam stulte sectaren-
tur. Quapropter & illud ipsum rerum studium, quod
in neglectum elocutionis ornatæ profitetur, adeo pes-
sime habet, ut, qui nesciverint, quæ primum discere,
convenisset, ne quidem, quæ docenda sint, teneant,
multo minus ut loqui possint. Ignorare autem, nisi in-
epti, non possunt, quod de fidei arcanis disputare insti-
tuentibus, cura præcipue verborum & maxima requi-
ratur, si res per se difficiles & obscuras, ut intelligantur,
oratione efficere velint. Quippe quæ legentibus ne-
gotium facere possunt, Nisi levius existiment audi-
endo consequi sensa dicentis, quam legendo; ubi lo-
cus iterandi sit ac cogitationis, qui apud auditorem
nullus est. Quod si a hoc disputandi opus & rarum
esse nec sine magno judicio tractari, & tantum ab elo-
quentissimis valeat; à quo se in communibus sug-
gestis abstinere merito debeant; possunt fortasse ijs in
materiis, quæ concionum propriæ sunt, absq; singula-
ri verborum vi & ornatu, multum tamen in animis ho-
minum efficere. Scilicet qui natura ad divinorum in-
telligentiam oscitamur, nec facilius tædium quam in
spiritualibus accipere solemus. Ut nauseabundas re-
mere aures nostras quibuscumq; rebus præteream, nisi


voluptate verborum indefessas tibi ac benevolentes
retineas. Id quod tam vulgare est, ut non à Rhetorum
præceptis, sed usu quotidiano, & imprudentissimus
quisq; intelligat. Nec tamen meliore animo concio-
namur, quam ad horam & de quibuscunq; rebus è
textu verba facere, pari successu, ut omnes obdormi-
ant. Tam dulces sirenum voces sunt! & hanc dicunt
homines vim suavissimi concentus ac morem esse.
Qui si finem dicendo facere non possent, quam ta-
men ægre invitiq; reperiunt, (tanto cum apparatu ac-
cesserunt !) periculum sit, ne soporem dare Audito-
ribus velint, æternoq; eos somno vendicare. Cum
autem sis ejusmodi concionator, mirum non est, quod
te nemo libenter audiat, multo minus, quod frustra sis.
Quam igitur aliquando causam, ut periculose debeas &
quam flagitiosæ coram Principe Pastore Jesu Christo
dicere, non possum tibi satis explicare. Mercenarij
profecto numeros omnes implesti, quorū & infidelis
est custodia, nec major cura, quam in speciem. Et re-
quirentur a te tot animæ; vitio equidem, non casu
perditæ, quib⁹ exolvendis nunquam futurus sis. Quod
cum pascere oves Regis tui professus es, nec artem te-
neas, nec mediteris. Unde gregis vitium ac morbi o-
mnes, maximi profecto extitere. At vero quam sunt
longe facienda alia! Præcursoris Christi exemplo, qui
vox clamantis erat, & concionum caput ac finem
in pænitentia ponebat. Tanto magis hoc tempore
necessariâ, quod idem regnum coelorum, idem ille a-
gnus Dei, sed longe gloriosior appropinquat. Cujus
in adventum, comparare debeas Ecclesiam, ut ornatif-
sima sponsum suum accipiat. Christum igitur narrare,
ejusq; fulguralem maximè diem; indignitatem v. ho-
minum


minum ac perversitatem exponere, quiq; cruciatus, & quæ tormenta apud inferos, quam infelix & dura æternitas futura sit infidelibus; contrà, quæ piis gaudia, quot laborum ærumnarumq; præmia, quam dulcia ac sancta, quanto, quam interminabili ævo, constituta sint; hæc erant concionum materia, hæc rerum summa, quam pastores animarum satagere debebant. Quod cum rectius non fecerint, quàm ostendendo vias delictorum ac præcipitia, ut in minimis malorum conscii fiamus, id præcipue in cognitione, quod spectarèt, salubre foret, & in quo argumento versari satis non possent. Dignæ n. hæc præsertim controversiæ, quia, nulla est potentior hæresis, quam vitæ, in qua minimorum est major reatus, quia frequentior noxa; & cum ista accuratissime docuerint, tamen restat sollicitudo maxima, cavendi. Quod tam ægre licet in animis Auditorum, ut sæpe desperare habeas. Quia non est cum intellectu amplius, sed voluntate, non adversus ignorantiam pugnandum, sed malitiam. Quæ difficillima res est, nec lenitate sed tumultu, sed rerum pondere ac momenti & magna virium contentione peragenda. Quapropter Tibi nec docendi munus, quod Rhetores vocant, proposueris, & oratio cum primis in augendo concitandoq; occupabitur. Inventionis n. rationes & partiũ dispositio, in quibus anxie à concionatoribus laboratur, tum quidem fuerint in dicendo minimum. Possunt a. alias servire arbitrio. Nam & natura nos Rhetores fecit, nec artem melius sequimur, nisi cum nonnunquam deserimus. Credi n. omnino convenit, esse aliquam in dicendo viam, sed in qua multa & sine doctrina præstare debeat per se ipsa natura, nec tam ista à præceptoribus inventa, quam cum ultrò sæpe fierent,

fierent, observata fuisse. Artes a. istæ altiores quæ occultari solent, ut artes sint, cæteræq; honestæ illæ quidem insidiæ, rectius abesse possunt, nec ut discantur opus habent. Aperto Marte oppugnaturis malitiam auditorum. Ad quorum salutem ac animam, quia spectant, rem agere aut commodis aliorum, aut dolo expositam videri non possunt. Quapropter & liberior spiritus, nec astricta legibus Oratio, concitata vis ac impetus maxime profuerint. Quæ cum a Methodicis illis & artificiorum scriptoribus non intelligantur, desereri & post haberi cum ratione debent. Ne tamen nihil præcipiant, oportet libros fieri earum rerum, quæ minimum opus sint. Atq; eo pertinent, quæ de Inventione argumentorum ac Dispositione, compilant. Neq; n. hæc primum docere debent & sunt jamdudum melius tradita. Ut non in schola, aut suggestu, sed ubiq; locorum, omnibus negotiis ac rebus adhiberi possint. Veluti pro juris studentibus aut Theologiæ, Logicam multi quam ineptissime sufferciunt. Qui præter exempla nihil tum afferere, debebant, in ipsa, sic versari, ut quæ usum concernunt, quam diligentissime persequerentur. Quo nomine non possum non accusare concionandi artifices. Nam & parum feliciter, & omnino nihil, quod eximium sit præ cæteris inveniunt, rectum vero aliorum iter plane deserunt. Quibus cum de arte non sit præcipiendum, tantò pejus consulitur. Primum n. est quod verborum ante ipsorum non habent studium. Ex quo peccata deinceps omnia. Quare autem renuncient veterum institutis, intelligere non possum, nisi cupiant invidere posteris eloquentiam. Quam a verbis & ea diligenti cura auspiciati veteres sunt. Nulla a. res stulta magis

magis est, cum ex vernaculæ consuetudine præsumimus spem ornatae dictionis aut negligimus excolendæ industriam. Quibus patria lingua tam inculta est ut angusta, & optimo solo nati morem nostrum emendare, nec contenti relicta aut è domo accepta eloquentia, sed parare nobis ipsi & acquirere debeamus. Ex eorum præcipuè scriptis, qui cura disertis, & exempla facundia non nisi studio ac multa exercitatione facti sunt. Nisi dura fuerint ac barbara penitus Romanorum ingenia, quibus & frequens lectio & diligentissima à prima opus erat etatæ, nec prior desuit, quam cum vita. Etiam si domestica usi optima consuetudine. Neq; n. lectionem vocarunt, quod solent facere, qui recognoscunt literas. Interpretari ac enarrare instituebant, ac voces prope singulas, non secus quam ad stateram examinare. Inde copiam sibi ac ubertatem petere, inde delectum habere, inde hoc, quod mulcet aures & orationem reddit admirabilem, componere. Quoquidem in studio, cum Romanorum disertissimus, profecta jam ætate, more omnium suæ ætatis oratorum, magna diligentia versaretur, vos quidem apud animum statuerе debetis, optimi lectores, nihil pejus relictum esse à concionum doctoribus, quam istam verborum ac sermonis curam, consulere à aliter vobis neminem posse, nisi per hæc initia. Quæ cum posthabita fuerint ac spreta aut non singulari accurataq; ratione expedita, & efficere omnino debent, ut concionandi artem difficultime, magno diutinoq; labore, nec tamen pro voto atq; exspectatione habeatis. Qui præter verba non loqui nec bene dicere potestis sine optimis & quam multis. Frustra tentaturi concionum cæteras artes, si quæ putantur à Methodorum scriptoribus afferri, nisi qui-

quibus eas oportet exprimi, ante omnia tenueritis.
Quamquam non adeo multum desiderare debetis. Tum
præcipue salutaria Dei organa, si, quod Apollo tanta
cum virtute in exemplum studii ac vestræ omnium in-
dustria fecit, profiteri arcana ista, seculis abscondi-
ta, & seminare fidem in animis Auditorum, talentoque
vestro lucrifacere quam optime, ac devincire Domini
gratiam cum maxima illa æternaq; cœlorum gloria
cupieritis. Quod quidem Judæus ille non aliter insti-
tuit, quam ingenti flumine eloquentiæ, quæ tanta in
eo fuit, ut summum Apostolorum vincere, & quic-
quam longe divinius posse videretur. Scripturarum
præsertim frequentissimus, quas citare & exponere sic
didicerat, ut nihil loqui sciret præter ipsas easdē pro ar-
gumento ac interpretatione afferens. Quod est caput
ac summa boni concionatoris. Atq; istud fecit, optimi
mei, ut altero collegio operã ejusmodi profiterer, quæ
vobis beatam aliquam in dicendo verborum copiam i-
psis scripturarum thesauris divite manu expromat ut
artem concionandi, quæ summa votorum esse debet,
feliciter tractare possitis. Cujus causa, qui volent, me
convenire non graventur, cum iis viam ac modum bre-
vissimis demonstrare, quod consulto nunc præterij, ac
ad cætera Germanicæ Eloquentiæ, non perinde visa nec
tentata, manu ducere constituerim. De quibus non
est meum plura commemorare, cum clarissimo-
rorum virorum ista quoq; incipiant vota esse,
& res se ipsam ostendere debeat. Bene
Valete.





magis est, cum ex vernaculæ consuetudi-
mus spem ornatæ dictionis aut negligimus
industriam. Quibus patria lingua tam in-
gusta, & optimo solo nati morem nostrum
nec contenti relicta aut è domo accepta el-
parare nobis ipsi & acquirere debeamus.
præcipuè scriptis, qui cura disertis, & ex-
diæ non nisi studio ac multa exercitatio-
Nisi dura fuerint ac barbara penitus Rom-
genia, quibus & frequens lectio & diligen-
ma opus erat etatæ, nec prior desuit, quam
tiam si domestica usi optima consuetudine
ctionem vocarunt, quod solent facere, qu-
cunt literas. Interpretari ac enarrare instit-
ces prope singulas, non secus quam ad stat-
nare. Inde copiam sibi ac ubertatem pete-
lectum habere, inde hoc, quod mulcet aut
nem reddit admirabilem, componere. Qu-
studio, cum Romanorum disertissimus, p-
ætate, more omnium suæ ætatis oratorum
ligentia versaretur, vos quidem apud ani-
re debetis, optimi lectores, nihil pejus rel-
concionum doctoribus, quam istam verbo-
monis curam, consulere a aliter vobis nen-
nisi per hæc initia. Quæ cum posthabit-
spreta aut non singulari accurataq; ratione
efficere omnino debent, ut concionandi
cillime, magno diutinoq; labore, nec tamen
atq; expectatione habeatis. Qui præter-
loqui nec bene dicere potestis sine optimis
multis. Frustra tentaturi concionum cæ-
quæ putantur à Methodorum scriptoribus

